



DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO - PRACTICA

DE

ADPLICATIONE
UNGUENTI HYDRARGYRI CINEREI
IN CURA MAJORI.

Amicis et collegae venerabilissimis

Friederico Flecker

Medicinae Quatori

in memoriam affert

emendatissimus auctor.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
ADPLICATIONE
UNGUENTI HYDRARGYRI CINEREI
IN CURA MAJORI,
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC MAG-
NIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

Dominicus Godofredus Columbus,

CATHEDRIS OECONOMIAE RURALIS ET HISTORIAE NATURALIS

UNIVERSALIS ADJUNCTUS

Austriacus ex Pulkau.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 23. Novembris 1833.

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obso-
letis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis
fidem, omnibus vero naturam et naturae suae omnia.

Plinius

Hist. nat. libr. I. ad Vespasianum.



PIIS MANIBUS

P A T R I S O P T I M I



gratissimus filius



Prooemium.

Ultimum, quod leges academicae a medico juvene, priusquam laurea Medicinae decoretur, postulant, adgressuro plura et medici attentione summe digna ante oculos versabantur, in quibus exponendis facultates et diligentia certe exerceri potuissent; et re vera in elaborando opusculo botanico - oeconomico vires meas minimas jam tentavi. Sed ab hoc conamine subito desistere coactus et portum desideratissimum tandem capturus, ad aliud dissertationis thema brevi exponendum, confugi et quidem ad *adplicationem unguenti hydrargyri cinerei in cura majori* — seu *ad expositionem curae*

majoris. Praemisi hydrargyri effectus generales in organismum humanum, ex quibus statim definitionem curae majoris deducere conabar, dedi varias unguentum parandi methodos, adjeci brevem curae majoris historiam, et tandem illius expositionem exhibui.



Definitionis deductio.

Unguentum hydrargyri cinereum — *unguentum mercuriale* — *unguentum cinereum* — *unguentum neapolitanum* — contra rebelles impetigines et ob formae cum his similitudinem, contra Syphilidem quoque antiquissimis temporibus in usum tractum est; sed effectus gravissimi inde exorti, medicos cujuslibet aevi attentos reddiderunt, hocce unguento ad latiore cutis plagam adhibito, nonnisi in malis inveteratis utendum esse, hinc in casibus, ubi cura majoris momenti — ergo major instituenda fuit. Sed, ut *definitio curae majoris clarior* evadat, consultum mihi videtur, modum, quo hydrargyri praeparata ad corpus humanum ejusque vitam se habeant et quo ad morbos tollendos contribuant, brevi tantummodo illustratum, praemittere.

Hydrargyrum in genere, ut pleraque metalla, nisi plastico praeprimis adversatur; ob virtutem enim stimulantem in vasa resorbentia facillime, imo per cutem in organismum suscipitur, quo fit, ut ipse spiritus metallum redoleat, ornamenta ex auro confecta in cute albescant, sub globulorum forma cutem de novo penetret et in sanis circa aegrum versantibus, salivationis vestigia animadvertantur. Verum et secretionis organa, cutem, membranas mucosas, renes, praeprimis glandulas salivales excitat, ipsam febrim, Mercurialem dictam, provocans, sanguinem quoque intrat, eique tam arcte conjungitur, ut nonnisi ignis ope separari possit; sanguis resolutus simul in coagulum minus pronus, colore obscuriore notatus adparet. Pa-

tet itaque laticis hujus vitalis mutatio et inde cachexia scorbutica imminens. Et digestionis organa valde afficiuntur; hinc gingivarum et linguae tumor, largum salivae profluvium, ulcera superficie albicantia in oris cavo, colica cum diarrhoea larga; respirationis organa catarrho laborant, sequuntur colli rigiditas, asthmatis symptomata et haemoptysis; musculorum actio valde languet, dum nervorum systema prius erethismo incitatur, quem torpor fere suscipit.

Confirmatur ergo hydrargyri effectus usu protractiori in vitam plasticam deleterius, quo nisus plasticus luxurians moderatur, materierum cohaesione majore peccantium resolutio, resolutarum resorptio, resorptarum secretio atque excretio promovetur et *quibus omnibus nonnullae morbosae metamorphoses sui generis penitus exstingui possunt.*

Ad effectus autem hosce maxima cum intensitate consequendos, unguentum hydrargyri cinereum *dosi majori* prae ceteris praeparatis adhibetur, propterea *modus, quo secundum certa praecepta ad varias morborum formas radicitus tollendus, unguentum mercuriale fortius, latiori cutis humanae plagae infricatur, regimine diaetetico strictissimo insuper conjuncto, omni jure cura major — cura per inunctionem κατ' ἐξοχήν (große Cur — Einreibungscur — Schmiercur) nuncupari meretur.*

Varia unguentum parandi methodus.

Adduxi supra unguentum cinereum fortius; patet exinde varius hujusce unguenti parandi modus, quem nunc considerabo.

Pharmacopoea Austriaca ita praescribit:

Rp. Hydrargyri,
Sebiovilli *an unciam unam*

terantur, donec colorem profunde cinereum acquirat unguentum, addendo sub finem *axungiae porci uncias tres* et servetur in vase vitreo aut porcellaneo.

Hydrargyrum itaque cum pinguedine commixtum habemus, quod juxta chimicorum nonnullorum mentem adhuc metallicum et nonnisi in moleculas minimas divisum est, quod alii tamen, cum sub aëris accessu fortiter teritur, in oxydulum conversum existimant. Ut operatio haec cito peragatur, pinguedo paulatim addenda est; metallum autem citius adhuc exstinguitur, si parva quantitas unguenti vetusti ad globulorum metallicorum extinctionem usque cum eo teritur, et dein pinguedinis quantitas definita additur, sed numquam calida, ne metallum iterum separetur. *Genuinum et rite paratum* colore obscure cinereo (absque maculis albicantibus aut nigricantibus, quae pinguedinem inepte admixtum indicant), globulorum metallicorum, armato quamvis oculo exploratum, absentia, pondere sat magno et eo, quod calore liquatum, sufficientem hydrargyri molem dimittat, sat accurate *dignoscitur*. Color nigricans *sulphur* ad celeriolem metalli extinctionem additum, indicat; minime quoque licet in finem modo dictum *terebinthinum* addere, unguento enim vim nimis irritantem conciliat, quae cutis ruborem et pustulas efficit et totum subinde systema sanguiferum in consensum trahit, quo cura necessario turbatur.

Unguentum hocce modo paratum dicitur commune, in quo quantitas metalli ad illam pinguedinis sese habet, sicut 1 ÷ 4 (unum ad quatuor); si itaque metalli ratio major erit, unguentum fortius oritur, quae autem rationes metalli ad pinguedinem illud excipientem, in singulis pharmacopoeis variant.

Paratur nempe unguentum :

1. In ratione 1 \div 1.

In pharmacopoea *Americana*: Mercurii partes tres, sebi partem unam, axungiae partes duas.

In pharmacop. *Londinensi*: Merc. lib. duas, axung. unc. viginti tres, sebi vervecini unc. unam.

In pharmacop. *Suecica*: Merc. unc. duas, axung. sebi hirci aa unc. unam.

Unguentum a *Louvrier* adplicatum: Mercur. et axung. porci partes aequales.

2. In ratione 1 \div 2.

Pharmacop. *Borussica*: Mercur. libr. unam, sebi vervecini unc. octo, axung. porci unc. sedecim.

Hoc unguentum a cel. *Rust* adhibetur, qui nonnullis pharmacopolis diffidens, huicce *addit aliquot grana mercurii praecipitati rubri*, diligentissime unguento conterendi, ut certior de perfecta metalli oxydulatione sit. Aegris autem systemate cutaneo irritabili praeditis, loco pinguedinis butyrum de Cacao cum metallo mixtum ordinat; quamvis pinguedo animalis organismo humano magis homogenea videtur, propterea resorptioni aptior.

Pharmacop. *Edinburgensis*: Merc. part. unam, sebi vervec. et axung. singulorum part. unam.

Pharmacop. *Amsdelodamensis*: Merc. libr. semis sebi tantidem, axungiae sesquilibram.

3. In ratione 2 \div 5.

Pharmacop. *Saxonica*: Mercur. partes quatuor, terebinthinae quant. satis ad exsting. et axungiae porci partes decem.

4. In ratione 1 \div 3.

Cox. *The american dispensatory* etc. *Philadelphia*:

Merc. e protochlorureto calcis ope praecipitati partem unam, axung. part. tres.

5. In ratione $1 \div 4$.

Praeter *Austriacam*

Pharmacopoea *Batava* et *Belgica*: Merc. part. duas, unguenti oxygenati unc. unam, axungiae sex et unam olei.

6. In ratione $2 \div 9$.

Pharmacop. *Hannoverana* et *Hassiae electoralis*: Merc. unc. quatuor, terebinthinae unc. duas, axung. porci unc. sedecim.

7. In ratione $1 \div 6$.

Pharmacop. *Genevensis*: Merc. unc. unam, axung. unc. sex.

8. In ratione $1 \div 8$.

Pharmacop. *Gallica*: Unguenti mercurialis unc. unam, axungiae unc. tres.

Ex varia ergo unguentum hocce parandi methodo satis patet, in legendis operibus de Syphilide agentibus, provinciam, quam auctor inhabitat, praeprimis respiciendam esse, ne falsa tractaminis instituti imago oriatur.

Dilucidata itaque peculiari hydrargyri in organismum actione, deducta inde simul curae majoris definitione et variis unguentum cinereum parandi modis adductis, methodos pedetentim excogitatas ad nostram usque aetatem, exponere conabor.

Brevis curae majoris conspectus historicus.

Adplicatio hydrargyri sub forma unguenti est methodus antiquissima, qua varios morbos hocce metal-

lo tractarunt. Jam medici arabici: *Rhazes* — *Avicenna* — *Serapion* — *Mesue* morbos cutaneos, herpeti analogos, phthiriasin etc. summo cum successu illo adgressi sunt, quo factum, ut jam *saeculo duodecimo et decimo tertio* per bella sacra (Kreuzzüge), quibus gendis tota fere Europa cum Arabibus et Saracenis gloriabatur, remedium hocce sub *unguento Saraceno* in nostris etiam terris famam quamdam assequutum est; dum Graeci, *Dioscorides* praecipue, per longius tempus hydrargyrum venenum esse, declararunt.

Salutares hujusce unguenti effectus in morbis cutaneis pertinacibus, ad finem *saeculi decimi quinti* usque medicis magis magisque innotuerunt; propterea ex analogia ducti nunc etiam contra Syphilidem, Europaeos tum temporis sub forma pustularum molestantem, adhibuerunt. Nam *Berengar da Carpi* primus habetur, qui contra malum syphiliticum unguentum hydrargyri merum in usum traxit, quin ipsius parandi modum palam fecisset; effectus tamen optati erant, quum in tota fere Italia ipsius fama et ars celebratissima decantata sit, licet *Josephus Grunpek* — *Conradus Gilinus* — *Joannes Weidmann* — *Aquitanus* — *Torella* unguenta hydrargyrosa quoque jam contra Syphilidem in auxilium vocaverint, sed cum plumbi praeparatis inquinata, quo ulcera imperito brevi emeliorata adparuerunt, malum autem ipsum brevissime recrudescens, sequelas magis deleterias adduxit. Hinc minime mirandum, si cura per inunctionem a plerisque iterum damnata et relicta fuit. Tum temporis, ut *Fracastorius* et *Pinctor* contendunt, inunctio per decem dies plerumque continuata est, licet saepius octo jam dies suffecere. Unguentum bis de die manu tepida omnibus aegri famelicosi partibus dolentibus adplicatum est, quin individui ipsius aut gradus morbi respectum habuissent. Quis ita-

que mirabitur sub hujus adplicationis ratione de dysenterii, ptyalismo exhauriente, dentium lapsu, imo maxillarum dispendio? Malis ergo hisce horrendis attentis, individuum tandem quidquam respexerunt et diebus aliquot absque inunctione praeterlapsis, *haecce cura tum temporis jam ad dies viginti, triginta extensa est.*

Saeculo decimo sexto Hieronymus Mercurialis observationibus omni diligentia institutis aptissimam jam methodum proposuit; dissuadet enim serio inunctiones ad majorem quantitatem et nimis cito repetendas, curavit juxta individuum varias portiones inungi, sed *numquam plus quam drachmas duas* unguenti. Ipsius autem monita vilipendebant et posteriores medici praecipuis ptyalismum, cito adducere conati sunt, quoniam effectum hujusce curae in intimo nexu cum hac salivae se - et excretionem aestimarunt. Imo medici clarissimi *saeculi decimi septimi: Franciscus de le Boe Sylvius — Fr. Hoffmann — Sydenham* ptyalismum secretionem criticam declararunt, qua neglecta faustus effectus minime exspectandus esset; quo factum, ut medici alii auctoritate horum virorum suffulti, nimias doses inungi curarent. Sic *Gallus Colmette* unguentum ex duabus partibus axungiae porcinae et una parte Mercurii vivi constitutum *quotidie ad uncias quatuor, quinque*, toti corpori, pectore et abdomine exceptis, adplicari jussit, quam dosim duplo majorem ordinavit, si tertia inunctione ptyalismus non accesserat.

Initio saeculi decimi octavi methodus Montpellien-sis a Chicoineau et Haguénot exculsa salivationem omni diligentia praecavere in votis habuit; aegris enim diaeta lauta concessa fuit, cura praeparatoria fere nulla, inunctiones ex drachma una institutas, altero statim die balnea sequebantur, propterea cura haec ultra quatuor aut sex septimanas duravit. Si haec methodus ef-

fectum aliquem praestitit, hic solummodo climati calidiori et formis mali syphilitici, in terris calidioribus multo mitioribus, adscribendus est.

Verum in Germania haec methodus numquam serio culta est; nam principium hujus methodi illi medicorum Germanicorum e diametro oppositum fuit, quoniam his ptyalismus, qua conditio sanitatis recuperandae necessaria adparuit et insuper adapplicatio hydrargyri sub forma unguenti, minime arrisit.

Heroës medici tum temporis: *Boerhave* — *van Swieten* — curam per inunctionem spreverunt, et revera dolendum, quod celeberrimus *van Swieten* sibi ipsi numquam persuadere potuit, pericula saltem instituere; tunc enim profecto spes potuisset foveri, nares, palata, aliorumque organorum devastationes evitari. Nihilominus nonnulli medicorum, qui externum Mercurii usum interno praetulerunt, *methodum Montpellensem* secundum sua principia *modificatam* adhibuerunt; huc spectant inunctionis curae a *Swediaur* — *Cuillerier* — *Girtanner* — *Vetter* — *Clossius* in auxilium vocatae. *Swediaur* curam praeparatoriam quoque negligit, purgans exhibet, die sequenti in balneo egelido totum aegri corpus panno laneo tenuiori (*Flanell*) fricat, quod balneum intra septem dierum spatium semel aut bis repetit, statim sequenti die post balneum drachmam unam unguenti pedetentim in internam cruris superficiem inungit, quam inunctionem post duas dies denuo instituit, si nihil mali contigit; aegro bene vestito tempestate favente ambulationes in aëre libero concedit. Post secundam inunctionem non sequenti, sed altero die, iterum instituitur inunctio, quae nunc, si omnia bene cedunt, quotidie continuatur. In morbis inveteratis drachmae duae unica inunctione adhibentur, si nec febris, nec diarrhoea larga, nec ptyalismus aut sudor

profusus insequuntur, atque *per sexaginta aut septuaginta dies sic continuatur*, dum in malo meliori triginta dies sufficiunt. Propterea non mirandum, si in nonnullis morbis rebellibus juxta hanc methodum *unciae fere septemdecim* unguenti mercurialis *illiniendo assumptae sunt*, quantitas, quae methodo accuratiori, qua sub ptyalismo ipso inunctiones non seponuntur, individuis sex et pluribus adhuc suffecisset.

Vetter — Girtanner et Clossius simili fere modo inunctiones instituebant.

Videmus itaque hosce medicos principia medicorum saeculi decimi sexti et septimi penitus neglexisse, quamvis *Petit — Fabre et Astruc* studio, nova cognoscendi et statim adhibendi, nondum seducti, methodos attentione quam maxime dignas exposuerunt, quae revera methodis nostrae aetatis fundamentum praebuerent. Consideremus ergo methodum ab *Astruc* et serius a *Fabre* modificatam. Prior *individualitatem* praepresens respexit, ita, ut debiliores aut vitio organico suspecto adfectos, numquam aut tantummodo, si Syphilis mater miseriarum fuit, inunctionibus tractaret; curam praeparatoriam accurate et minime in quolibet cum venesectione indicavit, plerumque sub diaeta tenui decem aut sedecim *balnea praemisit*, praeparationem autem penitus omisit, si malum urgebat. Inunctiones duplici modo institutae sunt, juxta *hydrargyrosin pleniorum aut parciorem*; in priori intra quinque primas dies, inunctiones tres applicatae, per quas aegro drachmae duae ex unguento pinguedinis et Mercurii partibus anaticis constituto, in membra ad rubedinem prius fricata, inunctae sunt. Prima inunctio a pedibus ad suras usque, altera a suris ad medium fere crurum et tertia ad nates usque instituta est. Septimo die dosis unguenti major juxta dorsum inungenda fuit, si nec ptyalismus nec ipsius prodroma in conspectum prodierunt,

quae inunctio die nono repetita fuit, si post quartam inunctionem denuo nulla salivatio intravit. Si nunc quinque diebus elapsis, nulla salivationis signa molestarunt, sequentibus novem, inunctiones quinque repetitae sunt, omni tamen cautela, ut nimius salivae fluxus praecaveatur. Salivatione nunc quoque nondum ingruente, novem diebus post ultimam inunctionem praegressis, balneum adhibitum est, serius purgans, diaeta tenuis neglecta et sic cura finita est. Si autem post tertiam inunctionem salivatio aut ipsius prodroma sese insinuabant, quod plerumque factum, inunctionibus sepositis omnis attentio in salivae qualitatem et quantitatem directa est; ptyalismus autem per quindecim aut viginti quinque dies, si aeger per diem non nisi tres aut sex libras salivae amisit, sustinebatur; per lotiones corporis autem et purgantia coërcebatur, si excessus timendus erat.

Fabre simili fere modo inunctionis curam instituit, sed circa salivationem jam clarius cogitavit; *continuans* nempe *inunctiones sub ptyalismo* et ut veneno venereo vias plures aperiret, in tractum intestinalem purgantium ope simul agendum esse censens. Minime autem salivationem sollicite expectavit, ab uberiore cutis transpiratione, largiore urinarum excretionem similem optatum effectum sperans: quae omnia satis declarant, ipsum de hydrargyri in organismum humanum actione, relate ad ipsius naturam medicatricem, sat perspectam habuisse notionem.

Expositio curae majoris.

Praemisso itaque brevi conspectu historico meum nunc erit, methodum quamdam adducere, quae nostris temporibus plerumque adhiberi solet, et haec esset, brevi antea *ab Astruc et Fabre* memorata, a

Louvrier primo, dein autem a *Rust* modificata. Quoniam autem horum virorum expertissimorum methodus parum tantummodo differt, brevitatis causa, illam simul considerabo et ad leves differentias adtentionem dirigam.

Medicus in qualibet cura majori — cura per inunctionem instituenda — tria momenta prae oculis habeat:

- a) Curam praeparatoriam.
- b) Inunctiones ipsas.
- c) Aegri tractamen, inunctionibus jam absolutis.

A. Cura praeparatoria

1. omnem complicationem, quae nec in nexu causali cum morbo venereo est, nec ope hydrargyri debellari potest, imo impedimenta objiceret, penitus amoveat;

2. aegrum huicce curae subjiciendum ad hydrargyrum suscipiendum praeparet.

Patet ergo plethoram, omnes affectiones nervosas, gastricas, scorbuticas, debilitati directae aut indirectae innitentes, quantum fieri potest, prius amovendas esse; si autem nullae complicationes adsunt, diaeta praeprimis eum in modum dirigatur, ut aeger abstinentiae admodum necessariae pedetentim assuefiat; constat enim subjecta obesa Mercurii susceptioni minime favere et sub diaeta larga, nutriente, effectus hydrargyri optatos non tantum in formis syphiliticis, sed etiam in aliis imminutos esse. Conceduntur propterea nunc et sub balneorum usu ter de die juscula incocta, (carnosa cum pane albo, oryza) sub primis tribus diebus fructus horaei, olera digestu facilia; victus autem carnosus penitus absit. Ad sitim fallendam aqua optime convenit, ditioribus etiam decoctum *Sassaparillae*, aliis

decocta ex radicibus althaeae, bardannae et liquiritiae ad libras tres intra viginti quatuor horas propinari possunt. Ceterum aeger tantummodo sub aëre sicco et calido per paucas horas obambulet. Praemisso hocce regimine diaetetico *purgans individualitati adaptatum porrigitur*, ut simul resorptionis organa levissime stimulentur. *Louvrier* sequens commendat:

Rp. Pulv. rad. Jalappae *drachmas duas*
 Cremor. tartari *drachmam unam.*
 M. f. pulv. D. S. pro dosi.

vel sequens:

Rp. Aq. laxat. Vienn. *unc. tres.*
 Sal. mirab. Glaub. *drachm. duas.*
 M. D.

Purgans levius quaecunque sit, tantummodo Mercurius omittatur.

Sanguinis detractiones, antea admodum frequentes, sub congestionibus, praecipue ad caput aut sub statu plethorico universali instituantur. Purgantis usum sequuntur balnea quotidie exhibenda, quorum numerus ab individuo et morbi gradu dependet, temperaturam graduum 26 — 29 Réaum. habeant, atque aeger ad duas fere horas in eis moretur. Si itaque malum rebelle non urget *secundum cel. Rust balnea duodecim sufficiunt*; dum *Louvrier* ad 16 — 20 — 30 *balnea adscendit*; quoniam ad Syphilidem radicitus tollendam pernecessaria esse contendit. Cura praeparatoria die sequenti remedio purgante finitur, dum altero mane inunctiones adhibentur, sub quarum usu nulla balnea conceduntur.

Quamvis juxta *cel. Rust* regimen et diaeta admodum strenua malum syphiliticum saepius jam emendant, tamen cura praeparatoria non ubique institui potest. Sic hypochondriaci, hystericæ, phlegmatici, pastosi balnea vix ferunt, aut omni tertia nunnisi die per horam

dimidiam; ubi malum destructionem organorum minatur, aut summa debilitas observatur, *cel. Rust* praemisso ad summum unico balneo, sine omni praeparatione ad inunctiones fortiores quoque transgreditur. In feminis curae praeparatoriae fines ponantur, dum catamenia fluunt, hisce autem silentibus, inunctionibus statim continuetur. De unguenti qualitate et recta ipsius paratione supra jam mentionem feci.

B. Inunctiones ipsae.

Quantitatem unguenti et numerum inunctionum medicus juxta individuum et morbi gradum diligenter determinet. *Louvrier* affirmat quidem drachmas duas ad primas duas inunctiones sufficere, et tantum malo urgente, per tres aut quatuor dies ad unicum inunctionem tres aut quatuor drachmas ordinat. Si autem individuum jam prius hydrargyri praeparatis satis tentatum fuit, sufficit ipsi ad primam inunctionem drachma una, ad secundam inunctionem drachma una et semis, in tertia et sequentibus ad drachmas duas ascendit. *Rust*, qui aegrum *diacta strictiori* ad Mercurium suscipiendum magis praeparavit, minores quantitates ad inunctiones adhibet; unguenti enim mitioris ad primas duas inunctiones nunquam plus, quam drachmam unam et dimidiam ordinans, in sequentibus ad drachmas duas, rarissime ad plures ascendit. Sic quoque *plurimi cum cel. Rust contendunt*, quod frictiones duodecim (saepe etiam pauciores) ad tollendum malum syphiliticum valde inveteratum plerumque sufficiant, dum in malis aliis, saepius plures inunctiones necessariae sint. Partes, quibus aptissime infricatur, sunt extremitates inferiores, superiores et dorsum. Dosis inunctioni destinata in duas partes aequales divisa, membris a medico nominatis, ad siccitatem cutis usque infricatur, quod ple-

rumque intra spatium quinque minutorum fit; extremitatibus inferioribus primo, dein brachiis et tandem dorso in quolibet inunctionum cyclo adplicatur, partes pilis obsitae prius iis liberentur, ne erythema oriatur; frictiones ab aegro ipso in regione fornacis calidi, aut manibus antea calefactis suscipiantur; in debilioribus et sub frictione in dorso, altero homine opus est, cujus manus vesica tamen animali vestitae sint. Sequens tabula optimum conspectum frictionum dabit *ab Rust et Louvrier* institutarum, si cura nulla modificatione indiget.



M o d u s n o r m a l i s .

Dies inunctionum matutinarum.	Dies liberi.	Dies inunct. vespertinarum et quibus purgans exhibetur.
1. In utrumque crus a maleolis ad genu usque	2. nulla inunctio	16. sero in dorsum
3. in utrumque femur a genu ad coxas usque	4. — —	17. mane purgans porrigitur
6. in utrumque brachium a carpo ad scapulas usque	5. — —	18. sero in utrumque crus
8. in dorsum a coxis ad collum usque	7. — —	19. mane purgans
10. in utrumque crus	9. — —	20. sero in utrumque femur
12. in utrumque femur	10. — —	21. mane purgans
14. in utrumque brachium	13. — —	22. sero in utrumque brachium
} ut supra	15. — —	23. mane purgans
		24. sero in dorsum
		25. mane purgans

Die vicesimo sexto aeger balneo modice calido per dimidiam fere horam immittitur, et ope spiritus saponati vel saponis simplicis, toto corpore purgatus, lintementis calefactis indutus in aliud cubile deportatur. Sub hac inunctionum periodo juscula tantummodo carnosae, incocta ab initio ter, sub salivatione bis de die conceduntur, quae autem, sub crisi et inunctionibus vespertinis non amplius sufficiunt; nam nunc vires refocillandae, propterea plus nutrimenti porrigendum, etiamsi appetentia adhuc non vigeat. In hunc finem jusculis vitellus ovi addatur, exhibeantur jusculum cum cerevisia paratum, cremor hordei et similia digestu facilliora, valde debilibus parva vini quantitas non nocet; in genere autem ad sitim fallendam aqua egelida aut decocta prius jam adducta optime quadrant. Temperatura cubilis quoque respicienda, infra gradum 16. Réaum. numquam cadat, die noctuque sit aequabilis, aër secundum *cl. Rust* necessitate nulla urgente fenestris apertis minime renovetur, contendit enim experientia ductus, aegrum inunctionibus minus fortibus molestari debere, si aërem moleculis mercurialibus gravidam simul inspiraret. Renovatio autem aëris in cubili, cui *plures* inunctionis cura tractandi includuntur, nunquam negligatur, quod perspicacissimus *Dr. Jenniker* quoque assumit.

Ast praeter *diaetam, temperaturam et atmosphaeram* alia adhuc medici adtentione perquam digna accidunt, inter quae *salivatio* primo nominanda erit, quae cephalica, pulsu fortiori, siccitate et ustionis sensu in ore, gingivarum tumore, sapore et odore metallico per liduum praegressis, sub tertia aut quarta inunctione, rarius sub quarta et quinta plerumque intrare solet. Si *prodroma* autem aegrum vehementius invaderent, consultius erit, tertio tantum die inunctionem denuo in-

stituere et simul ab unguenti dosi quidquam recedere, quin propterea tota cura interrumpatur.

Tabula sequens exceptionem hanc, secundum *cl. Rust* susceptam illustrabit:

Modus normalis.	Exceptio prima.
die 6. inunctio in utrumque brachium	die 6. inunctio in utrumque brachium
— 7. nihil adhibetur	— 7. nihil adhibetur
— 8. inunctio ad dorsum	— 8. nihil adhibetur
— 9. nihil adhibetur	— 9. inunctio in dorsum
— 10. inunctio in utrumque crus	— 10. nihil adhibetur
— 11. nihil adhibetur	— 11. nihil adhibetur
— 12. inunctio in utrumque femur	— 12. inunctio in crus et femur utrumque
— 13. nihil adhibetur	— 13. nihil adhibetur
— 14. inunctio in utrumque brachium	— 14. inunctio in utrumque brachium
— 15. nihil adhibetur	— 15. nihil adhibetur
— 16. inunctio <i>vespertina</i> in dorsum.	— 16. inunctio <i>vespertina</i> in dorsum

dosi imminuta

Hac ratione *inunctiones* tantummodo *sex* institutae sunt et nihilominus ordo in partibus inungendis perturbatus est, quo tractamine salivationis nimiae prodroma in aegri solatium et medici quietem simul recedere solent. Inunctio autem sexta adhuc die uno protraehenda esset, *si symptomata supra adducta perstarent* et inunctionum ordo ex tabula sequenti innotescet:

Exceptio altera.

die 6. inunctio in brachium utrumque	} dosi immixta	die 7. nulla inunctio
— 9. inunctio in dorsum		— 8. — —
— 12. inunctio in utrumque crus et femur		— 10. — —
— 15. <i>vespertina</i> inunctio in brachium utrumque et dorsum vel <i>ommittitur quoque et</i>		— 11. — —
		— 13. — —
— 16. <i>vespere</i> instituat		— 14. — —

Si vero salivae fluxus jam ante tertiam inunctionem cum feбри, convulsionibus, sudoribus exhaustibus incederet, certe consultius erit, aegrum balneo immittere, cubili moleculis mercurialibus infecto eripere et turbas adductas purgantibus et diaphoreticis *lenioribus* componere, cura hacce faustiori momento relicta; aut malo urgente, alia medendi methodo, ulteriorem evolutionem cavendo, in usum tracta.

Si ptyalismus sub quinta inunctione nondum intrat, plerumque non amplius adparet et caveat medicus, ne inunctionibus sese cito excipientibus hancce secretionem provocet, alia se- et excretionis organa, cutem, tractum intestinale, urinarum molem, magis respiciat, quae omnia salivationem supplere videntur. Ejusmodi aegri, qui inunctionis curam facilius perferunt (sed etiam minus certo sanantur) appetentia vigente in sui ipsius perniciem ad errores diaeteticos facile seducuntur. Cum qualibet autem salivatione etiam si quantitate justa incedit (si intra viginti quatuor horas ad tres aut quatuor libras excernuntur) necessario plures molestiae dolorificae junguntur; in quem finem

varia collutoria commendantur, quorum complura dolorem in cavo oris adhuc augment. Infusum sambucinum cum lacte, infusum foliorum salviae plerumque minus quadrant, quam aqua pura egelida, quae salivam tenacem, acrem diluendo, ipsius excretionem promovet. Solutio camphorae in oleo miti (camphorae drach. unam, olei amygdalar. unc. unam) partibus excoriatis et cavi oris ulceribus applicata, ab initio dolorem quoque intendit, sed saliva copiosior excernitur et ulcera simul purgata, majorem extensionem non acquirunt. Similem effectum enematibus ex infuso chamomillae cum paucillo olei applicatis et jusculis mucosis simul porrectis, assequi student.

Sanguinis fluxus ex gingiva tumida, dentibus carie fere consumptis, medici attentionem non minus merentur, ad quos tollendos secundum *Louvrier* solutio sulphatis cupri aut aluminis crudi adhibetur. Multo autem majores et attentione perquam dignas molestias inducunt linguae, buccarum, tonsillarumque tumores, qui mane post evigilationem volumen maximum ostendunt, dum sub somno saliva ob moram in cavo oris protractam, tenacior atque acrior, hasce partes valde irritat; collutoriis vero usurpatis mox recedunt molestiae, propterea eorum usus omni quinta aut decima sexagesima horae parte repetatur. Si linguae tumor ita increceret, ut ipsis fluidis transitus denegetur et suffocationis metus oriatur, tunc cura interrupta, incisiones in linguam aut hirudines applicandae sunt. Insuper attendendum, ne partes buccarum exulceratae, gingivae ad crescant et tali ratione deformitates generentur.

Salivae fluxu sufficienter perlustrato *mutationes huic curae singulares* die decimo tertio aut decimo sexto plerumque prodeuntes prae ceteris *considerandae veniunt*. Linguae cujuslibet fere aegri mucro crasso tegi-

tur, abdomen densum, respiratio anxiosa, pulsus plenior observatur, dolores colici, cardiopalmus, phantasmata aegrum sub somno angentia, vires organismi quasi evigilatas demonstrant, quibus venenum susceptum, ipsi totum quantum heterogeneousum, profligaturus esse videtur. Excretiones huc usque parcissimae, per cutem, tractum intestinale, vias urinales, modo liberiores, aegrum morosum et tristem mirum in modum hilariorem reddunt; sudor per quatuor, octo, saepius duodecim, imo viginti horas durans adparet, dum borborigmi, flatuum secessus, instantem excretionem alvinam indicant. In hac igitur periodo aeger prae primis custodiatur, ne refrigerio sese exponat, hocce enim peressus, plerumque intra duodecim horas perit. Omnibus autem rite peractis, aegri hilaritas perstat et *jum nunc symptomata*, quorum causa cura haec inducta fuit, pedetentim *recedunt*; qua emendatione medicus minime seducatur, ab ulteriori inunctione desistere, sed magna cum attentione in individuum, curam nunc eo dirigat, ut nimis anxius non citius ipsi finem imponat, nec sanitate postea neglecta, illam nimis extendat; visitet propterea aegrum ex improviso saepius de die, ne robore mendaci fallatur. Non raro *salivam acrem deglutiendo* aut neglecta manuum munditie, unguento cinereo sub ciborum consumptione in ventriculum delato, vomituritiones frequentes, motus musculorum faciei convulsivi, tremor labiorum etc. oriuntur, quae molestiae pulvere rad. Ipecacuanh. ad grana 10 — 12 consumto, cito tolluntur; aeger insuper situm dorsalem vitet et manus praepriis diligenter purget.

Ceterum aegri, viribus ad inunctiones vespertinas usque utcunque pollentes, remedio purgante valde conficiuntur et virium lapsus denuo observatur, qui purgante mitiori et diaeta quidquam largiori concessis,

praecaveri posset; si nihilominus vires consumuntur, cura statim finiatur, et aeger nutrientibus et leviter excitantibus restauretur.

Medicus autem, quantum fieri potest, omnia impedimenta curam interrumpentia amovere conetur; experientia enim docet, aegros ante diem vicesimum secundum aut tertium curae subtractos, fere semper non sanatos esse, propterea casus, quibus secundum modum normalem quinque inunctiones vespertinae et totidem purgantia conveniunt, ab istis bene distinguat, in quibus sub eodem tempore tres aut ad summum quatuor adhiberi possunt; hinc jam prima inunctione vespertina instituta, possibilem curae modificationem perpandat, ad quam rite absolvendam *in individuis valde debilitatis diem decimum sextum praecipue respiciat, num symptomata suspecta recesserint, aut adhuc statu pristino manserint.* *Cl. Rust* pro hac modificatione sequens schema exhibet:

<i>Modus normalis.</i>	<i>Exceptio I^{ma}.</i>	<i>Exceptio II^{da}.</i>
die 16. sero inunctio in dorsum.	inunctio in dorsum.	inunctio in dorsum
— 17. purgans.	purgans	purgans
— 18. inunctio in utrumque crus.	inunctio in utrumque crus et femur.	nihil adhibetur
— 19. purgans.	purgans	inunctio in utrumque crus et femur.
— 20. inunctio in utrumque femur.	inunctio in utrumque brachium.	purgans
— 21. purgans.	purgans	nihil adhibetur.
— 22. inunctio in utrumque brachium.	} balneum aut juxta individuum prius adhuc inunctio quarta in dorsum	inunctio in utrumque brachium et dorsum.
— 23. purgans.		purgans.
— 24. inunctio in dorsum.		nihil adhibetur.

die 25. purgans.	balneum seu cura rae finis.
— 26. balneum seu curae finis.	

In exceptione itaque secunda ob individui debilitatem, cura consueto modo prolongatur, quia symptomata nondum emeliorata sunt, sed inunctiones tantummodo tres instituuntur.

Post vicesimum quartum diem nulla inunctio amplius admittenda, etiamsi symptomata suspecta parum aut penitus non recesserint, nam sequentes inunctiones, pertinaciter inhaerentia quoque non tollent, quin imo aegrum certe in vitae periculum ruerent.

Ulcera in cavo narium aut oris aut in aliis corporis partibus naturae syphiliticae, scrophulosae aut arthriticae remediis externis e. g. solutione sublimati et similibus tractari aut aqua egelida purgari possunt, sed jam sub cura ipsa necessario emendari debuissent.

C. Aegri tractamen inunctionibus absolutis.

Jam supra mentionem feci, *die vicesimo sexto aegrum balneo immittendum atque lavandum esse, praeterea lintea, quotidie commutanda, quoniam excretio molecularum mercurialium per cutem diu adhuc perdurat et quo adfectionibus rheumaticis, catarrhalibus optime praecavetur; ad quas certo evitandas et excretionem modo dictam promovendam, balnea cautissime usurpata et saepius repetita, plurimum conferunt. Tempestate humida aut ventosa post tertiam tantum hebdomadam, inunctionibus finitis cubile deserat, ne effectus Mercurii secundarius in aegri perniciem supprimatur et totius curae eventus faustus tollatur. Respectu igitur regiminis medicus sat strenuus sit, sed etiam diaeta aegro praescribenda erit, quoniam vel sub hac medendi methodo contra omnem opinionem, digestionis organa*

parum debilitata sint, aegri mox restaurantur, hinc appetentia necessario vigeat. Impediendum tamen, quominus ventriculus nutrimentis solidioribus non assuetus, indigestione afficiatur, fami itaque portionibus parvis, ast saepius repetitis satisfiat; jusculis cum oryza, sago, ovis, oleribus digestu levioribus, diebus aliquot post caro vitulina, pulli gallinacei etc. adduntur, quo fit, ut nonnisi decimo sexto aut vicesimo die ad pristinam nutrimentorum indolem redeat.

Tractamine symptomatum, longiori tempore perstantium, in hac periodo cunctandum erit; nam saepe finita cura ejusdem effectus tandem in lucem prodeunt, tumores, ulcera, impetigines variae nunc absque tractamine evanescent. Si autem curae adhibitae effectus minus optatus aut nullus fuit, medici experientiae relinquatur, num adhuc et in quibusnam casibus repetenda sit, aut num alia methodo e. g. *ope decocti Zittmanni* malum adgrediendum sit. Sic salivae fluxus, sed rarissime adhuc perstans, tractamine vix opus habebit; sufficient jam in usum tracta, vel supra sub salivationis tractamine adducta, repetantur. *Cl. Rust* nonnunquam cum effectu contra salivae fluxum perstantem, pulverem sequentem praescripisit:

Rp. Hydrargyri oxydulati nigri gr. semis
 Opii puri grani quartam partem
 Sachari albi scrupulum semis
 M. f. pulvis pro dosi.

Tales doses duas aut tres per diem consumi jussit.

Haec cura a *clar. Rust* modificata et creberrime in usum tracta, ab illa a *clar. Louvrier* adhibita, parum differt et quidem eo, quod prior:

- a) dietam magis strenuam commendat,
- b) atmosphaeram cubilis sub cura ipsa nonnisi necessitate valde urgente, renovat,
- c) minorem quantitatem unguenti hydrargyri cine-

rei non tantum ad singulas inunctiones, sed et ad absolvendam totam curam adhibet,

- d) curam inunctionis etiam morbis non syphiliticis opponit.

Cura minor moderatam intendit metamorphosin mercurialem; propterea regimine et diaeta minus strenua insignitur, unguentum commune cutis plagae non adeo extensae et minori dierum numero inungi jubet, balnea simul conceduntur tepida et salivationis vestigia statim moderari intendit. Paucis hisce tantum adductis, satis patet, quanta sit differentia inter curam majorem et minorem.

Auctores, quorum opera consului, sunt: *Astruc, Fabre, Swediaur, Louvrier, Rust, Simon jun. Haase, Ph. C. Hartmann, Jourdan.*

T h e s e s.

Virtus medicamentorum solvens cum praevalente in
iisdem oxygenio cohaerere videtur.

Remedia stimulantia solventem simul effectum edere
valent.

Sales, sulphur, alcalia eorumque praeparata certe nul-
lo alio modo agunt in plantas, quam in animantes.

Humus est praecipuus nutritionis fons regni vegetabilis.

Roborantia debilibus interdum noxia.

China non inique nutrimentum altioris gradus praedi-
cari posset.

Temperamentum saepe morborum fundamentum.

Sexus femineus morbis magis obnoxius, quam virilis.

Revaccinatio, praecipue grassante epidemia variolo-
sa, necessaria videtur.

Ex anatomia subtiliori ars medica, certior fit.

Perstat visus functio absque humore crystallino.

Hygiene, medicinae pars utilissima, saepissime negli-
gitur.

Febris saepius morbi remedium est, et non morbus.

Vomitoria in febribus biliosis non semper purgantibus
praeferenda sunt.

In morbis acutis hinc inde cunctandum.

In Allopathia similia similibus quoque curantur.

Medicus qua talis, plurimas scientias Oeconomiae rura-
lis auxiliares, possidet.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF CHEMISTRY
5800 S. UNIVERSITY AVENUE
CHICAGO, ILLINOIS 60637

RECEIVED
JAN 15 1964
FROM THE
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF CHICAGO
5800 S. UNIVERSITY AVENUE
CHICAGO, ILLINOIS 60637

UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
5800 S. UNIVERSITY AVENUE
CHICAGO, ILLINOIS 60637